



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Annales Mariani Societatis Iesv**

**Nádasi, János**

**Romæ, 1658**

Anno MDXLVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42840**

A N N O M D X L V I .

885 S. P. Ignatius hoc anno Romæ Petro Ferro febribus per sexaginta tres dies illum exurentibus ad extrema perducto prædixit fore ut breui à Beatissima Virgine sanaretur. Adsum nocte proximâ, vt resert Orlandinus, hist. l. 6. n. 9. cùm sensibus totis vigilaret ægrotus, amictu candido spectabilis Virgo Mater, quam cælestes virgines cingebant choro insigni; quæ expressam sui oris effigiem, similem eius quæ ad cryptæ Ferratæ piè colitur, ægro dedit; eamque iussit admoueri præcordijs: quâ ille ad pectus adiunctâ, somno est consopitus; dein excitatus, & sanatus, postridiè à S. Ignatio visitatus est, dicente: *Nonne ego dixi, fore, ut Dei Genitrix te sanaret?* Hoc ex ipso Petro iureirando id affirmante postea compertum; qui certior factus est, illam Ignatij prædictionem ortam ex eiusdem precibus, *quas ille Virginis ante genua pro sui salute fundere sit visus.*

886 P. Petrus Faber hoc anno 1. Augusti vitam felici, sed acerbâ, morte confecit Romæ. Hic est ille Deiparae famulus, Deiparae comes, & pro consiliario datus ab eadem Ioanni Nunnio. P. Frater Joannes dela Parra scribit quandam Dei Matris imaginem, coram qua Petrus Faber supplex Gandie precabatur, ei oranti locutam. Aliás etiam, eandem Deiparam, cùm P. Petrus piè oculos in illam defigeret, ait oculos hactenus demissos, & ferè clausos, in P. Petrum amanter conuertisse; neque postea clausisse, aut demississe, verum ita ut eos aperuerat retinuisse, ac eapropter ab eo tempore illam imaginem dictam Nostram Dominam de miraculo; atque nunc etiam Madriti apud Sanctimoniales in pretio reuerentiâque haberi.

AN-

*Illam in  
morbo te-  
nerè co-  
lere.*

*Laudatus  
in vita,  
B. Borg. a  
Io. Nier.  
His pag.  
55.  
Imagines  
Deiparae  
impensè  
reuereri.*